Caſſianum, quinque a Mediolano paſſuum millibus, caſtra locat. Veneti ad Binaſcum eadem via, Divorum Angeli, & Columbani oppidis captis, conſedere. Nuntio allato, a Scudo Lautrechii fratre nuper ex Galliis reverſo, pecunia, quam ſecum attulerat, Genuæ milites comparari, Lautrechius Federicum Bozzolum cum quadringentis cataphractis, ac ſeptem millibus, partim Helvetiorum, partim Italorum peditum obviam mittit, ut conjunctis copiis iter in Inſubres maturent. Mantuanus Ticino egreſſus, quo facilius ſejunctos opprimere poſſet, Gambalum profectus, numero hoſtium perterritus, re infecta revertitur. Noſtri ad Gambalum, junctis cum Scudo copiis, Novariam iter faciunt, ac bellicis machinis, quæ in arce reperiebantur, mœnia quatiunt; mox per ruinas, proſtratoſque muros civitatem invadunt. Propugnatores alacri animo impetum excipiunt: utrinque pro mœnibus pugna committitur: nonnunquam Galli repelluntur; verum ſæpius redintegrata pugna, omnibus fere, qui cuſtodiæ præerant, militibus interfectis, Philippo Torniello Præfecto capto, civitate potiuntur. Interim vero Sfortia Germanis ſtipatus militibus a Proſpero Columna exceptus, ingenti lætitia, ac plauſu Mediolanum ingreditur, Mantuano Principe cum duobus peditum millibus, trecentis levioribus, ac quinquaginta cataphractis equitibus Ticini relicto. 1522

Novaria a Gallis expugnata.

Ducis a Ticino diſceſſu, imminuto militum præſidio, occaſionem nactus Lautrechius, motis ſignis, eo citato itinere contendit; ſtatimque ad urbem caſtra locat: nec minori celeritate Columna, ut periculo ſubveniat, mille e Cyrno inſula, ac nonnullos præterea Hiſpanos milites oppidanis ſubſidio mittit, qui eximia virtute per medios hoſtes ad urbem ſibi aditum, nonnullis interfectis, faciunt. Noſtris a duobus lateribus mœnia verberantibus, atque ad trecentos cubitos fere ſolo æquatis, Helvetii moræ impatientes copiam ſibi urbis invadendæ fieri petunt: verum duces ardorem animorum lenire, atque nil temere tentandum rati cunctatione utuntur; cum eodem tempore Petrus Navarrus vir arcium expugnandarum, atque oppugnandarum ea tempeſtate peritiſſimus, ſubterraneos cuniculos ageret, quibus immenſi operis propugnaculum ſubruere, ac disjicere ſtatuerat, ut per illius ruinas

Lautrechius Ticinum aggreditur.

tu-